



R 1.51 B

COLLEGII QUARTI
In Augustanam Confessionem,
quod adhuc est
De Ecclesia,

DISPUTATIO XIV.

In quâ

Examinatur prior pars primi Be-
cani argumenti, quo probare satagit; Anti-
Christum magnum nondum venisse.

Proposita.

In Electorali Academia VVittebergenſi,

P R Æ S I D E

JACOBO MARTINI, SS. Th.

Doct. & Profess. Publ. Primario, Facult. Theol.

Seniore, ac Templi Arcis Prapósito:

RESPONDENTE

CHRISTOPHORO SCHROEDERO,

Fridlandiâ-Boruffo.

In Auditorio Collegii Veteris

Ad diem 17. Augusti.

WITTEBERGÆ,

Ex Officinâ Typograph. AMBROSII ROTHII, Acad. Typogr.

ANNO M. DC. XXXI.



COLLEGIUM QUARTUM
In Augustanum Confessionem

De Ecclesia

EXAMINATIONES IN THEOLOGIA

JACOBO MARTINI SS. Th.

CHRISTOPHORO SCHROEDER

F. Officina Typographica





D. O. M. A.

Continuatio.

BXaminatâ, hoc est, perversè explicatâ,
& Sophisticè depravatâ (ut monstravi-
mus) nostra de adventu Antichristi Ma-
gni sententiâ, ad Catholicorum, hoc
est, Papanorum opinionem stabilien-
dam Becanus progreditur. Vestigia
ergo deus prementeshac disputatione generale argu-
mentum primo loco propositum, quo probare sata-
git Jesuita: Anti-Christum Magnum nondum venisse,
neque manifestatum esse, videbimus & examinabi-
mus.

T H E S I S I.

Sic ergo ad Pontificiorum doctrinam pergit Becanus. §. 10.
*Catholicorum doctrina duabus conclusionibus proponi potest: Prima
conclusio: Anti-Christus propriè dictus, qui ab Apostolo vocatur homo
peccati & filius perditionis, nondum venit in hunc mundum. Proba-
tur 1. Quia Anti-Christus non veniet, nisi prius eversum & desola-
tum sit Romanum Imperium: Atqui hoc nondum factum est. Ergo
Anti-Christus nondum venit. Major passim asseritur ab antiquis Pa-
tribus, tam Græcis, quàm Latinis. Cyrillus Cathes: 15. ait: Veniet
predictus Anti-Christus cum impleta fuerint tempora Romani Imperii.
Et Chrysostomus in 2. Thessal. 2. Quando è medio sublatum fuerit
Romanum Imperium, tunc veniet Anti-Christus. Similia habent
Theophylactus, Oecumenius & Ambrosius ibidem, Lactantius lib. 7.
c. 15. Hieronymus quest. 11. ad Algasiam & Tertullianus in Apologeticis*

e. 32. ubi etiam addit, *fidelis onere pro diuturnitate Romani Imperii, eo, quod intelligant, Romano Imperio everso imminere orbi extremam sub AntiChristo calamitatem.*

II. Respondemus, terminum istum, *Imperium Romanum eversum & desolatum esse*, duplicem habere potestatem; vel enim significat, Majestatis & potentiae imminutionem, & sic insignem aliquam Imperii Romani mutationem & debilitationem; aut totalem everfionem & desolationem, quâ Romanum Imperium in Deum reges sit dividendum ac planè distrahendum, amissâ cum nomine omni imperiali dignitate.

III. Si Becanus majorem propositionem, sive in ea medium terminum intellectum velit in priore potestate, tunc affirmamus majorem, & negamus minorem: Quippe negari non potest, si priorem Imperii Romani Majestatem aspiciamus, illam non amplius esse, sed dudum esse desisse. Si autem medium terminum accipiat in posteriori significatione, tum contra majorem propositionem *αὐτὸς* negamus. Ante adventum quidem Anti-Christi ita juxta divina oracula, imminui debuit Romanum Imperium, ut penè sublatum, vel, ut Johannes inquit, lethaliter vulneratum videatur, vel denique ita pressum, ut videatur non esse, & tamen sit, ut idem Johannes prædixit: *Apocal. 17. v. 8.*

IV. Promittit quidem Jesuita noster majoris hujus confirmationem, sed exhibet illam minus firmam, minus solidam. Provocat enim ad Patres, quorum autoritas in hoc argumento magna non est. Quandoquidem, quæ in scripturis de Anti-Christo prædicuntur prophetica sunt, proindeque multò post futura: Ad prophetias intelligendas quidem ratio aliqua est ex conjecturis, sed ea obscura & plerumque incerta. Verissimum enim est, quod Irenæus lib. 4. adv. hæres. cap. 43. scribit: *omnes prophetia, priusquam habeant efficaciam, enigmata & ambiguitates sunt hominibus.*

V. Quare certò intelliguntur his duobus tantum modis: vel per extraordinariam revelationem, id est, per donum pro-

prophetia, vel per ipsius prophetia complementum. *Acti*
neutrius compotes fuere Patres. Non doni prophetia; ne-
mo enim illorum fateatur, vel testatur, sibi quicquam hac de
re à Deo fuisse inspiratum. Non complementi; quia non-
dum Anti-Christum habebant revelatum. Quid ergò mirum
futura eos sefellere conjectura.

VI. Unde Patres ipsi cogantur diserte fateri & testa-
ri, se in hoc negotio plurimum ignorare, non omnes etiam
consentire. Si autem hoc: sanè non nisi stultus istius-
modi antiquitatis opiniones pro demonstrationibus ac cer-
tis & infallibilibus testimoniis amplectetur: prudens ve-
rò pro incertis hominum suspicionibus & conjecturalis ha-
bebit.

VII. Sic enim Augustinus de Civitat. DEI lib. 20.
cap. 19. *Nam quid est? Jam enim mysterium iniquitatis open-*
tur: tantum qui modò tenet, teneat, donec de medio fiat; & tunc re-
velabitur ille iniquus? Ego prorsus, quid dixerit, me fateor igno-
rare. Suspiciones tamen hominum, quas vel audire vel legere de hac
re potui, non tacebo. Quidam hoc de imperio dictum fuisse. Roma-
no, & propterea Paulum Apostolum non id aperte scribere voluisse,
ne calumniam videlicet incurreret, quòd Romano Imperio male op-
eraverit, cum speraretur æternum: ut hoc, quod dixit: Jam enim my-
sterium iniquitatis operatur, Neronem voluerit intelligi: cujus jam
facta velut Anti-Christi videbantur. Unde nonnulli ipsum resur-
recturum & futurum Anti-Christum suspicantur. Alii verò nec
cum occisum putant, sed subnectum potius, ut putaretur occisus, &
vivum occultari in vigore ipsius aetatis, in qua fuit cum crederetur ex-
tinctus, donec suo tempore reveletur & restituatur in regnum. Sed
multum mihi mira est hac opinionum tanta presumptio. Et mox:
Alii verò, & quòd ait: quid detineat scitis, & mysterium openri
iniquitatis, non putant dictum nisi de malis & fictis, qui sunt in Eccle-
sià, donec perveniant ad tantum numerum, qui Anti-Christo ma-
gnum populum faciat, & hoc esse mysterium iniquitatis, quia vide-
tur occultum. Et post pauca: Alius ergò sic; alius autem sic
Apostoli



Apostoli obscura verba coniectat : quod tamen eum dixisse non dubium est : non venit ad vivos & mortuos iudicandos Christus, nisi prius venerit ad seducendos in anima mortuos adversarius ejus Anti-Christus, quamvis ad occultum jam iudicium Dei pertineat, quod ab illo seducentur &c.

VIII. Ludovicus Vives ad hoc caput & quidem ad illa Augustini verba: *Quidam putant, hoc de imperio dictum Romano, scribit: Lactantius lib. 7. & Hieronymus in Daniele, omnes hoc dixisse scriptores ait: futuros circa finem seculorum decem Reges qui Romanum orbem inter se dividant, superventurum undecimum Anti-Christum. Sed haec sunt leves coniecturulae.*

IX. Verissimum hoc Ludovici Vives est iudicium: sunt enim revera *levissima coniecturulae*, quia ipsa met experientia testatur, opinionem istam falsam esse: imperium enim Romanum ante multa secula in plura regna, quam decem, divisum est, ut suo loco pluribus demonstrabitur. Simulque ex Augustini verbis apparet, non omnes Patres ita iudicasse, & inter illos doctissimos ista ignorasse, eorumque opiniones, quas Jesuita probat, pro levibus coniecturulis à viris doctis habitas fuisse.

X. Taceo, quod Patres, plurima sibi in hoc indulsere negotio, quorum ne vestigia quidem in scriptura. Lactantius tradit, Christianos omnes in montem quendam fugituros, ibique ab Anti-Christo obsessum iri, tum verò descensurum è caelis Christum, pugnaturumque, ac quarto praelio victoriam de Anti-Christo reportaturum, tantà cum caede, ut rivi fluant sanguinis. Hæc ne quisquam credet Jesuita? Credat & cum ipso Judæus Apella. Nos potius Spiritui S. per os Apostoli loquenti, credimus, qui longè aliud testatur & docet, Anti-Christum Spiritu oris Christi confectum iri.

XI. Alii adhuc audaciùs, futurum dixerunt Diabolum incarnatum, instar Christi DEI incarnati: atque id significat Theodoretii phrasis; de omni plenitudine Diabolicae malitiae habitantis in eo corporaliter: quemadmodum in Christo plenitudo Deitatis. Hæc enim phrasi Paulus unionem
hypo-

hypostaticam descripsit. Et hanc sententiam admittentur Jesuitæ? Amentes sunt, si probant. Non potius revelationi divinæ unicè adhaeremus & in eâ solâ quiescimus.

XII. Liceat ergò nobis bonâ cum Patrum veniâ ab eorum vestigiis discedere, ut & scripturâ magis hæreamus, & rerum persuadeamur eventu; qui Patrum temporibus nondum fuit: si enim non omnia, à Prophetis prædicta, saltem multa impleta sunt, quæ Patrum temporibus futura erant. De Imperii Romani maximâ debilitatione nemo ampliùs dubitare potest; itaque sumus intra tempus illud, quo certissimum est, Anti-Christum esse revelandum. Deinde Episcopus Romanus in tantum se exulit fastum, tantamq; arripuit potentiam, quantam Patres ne suspicari quidem poterant. Quicumque enim à Becano allegantur, ii floruerunt, florente adhuc maximè imperio Romano, ex cujus debilitatione & crescere debuit Anti-Christus, & crevit etiam Episcopus Romanus, ut eventa illa historiis sunt testatissima; quæ boni isti Patres habuere incognita.

XIII. Interim inter ipsos Patres non defuerunt, ut Cyprianus *lib. 4. Epist. 6.* Hilarius *in principio contra Auxentium*, Bernhardus *super cant. sermo: 30.* qui expressè dixerunt & scripserunt: Anti-Christum venisse. Ergò non in eâ fuerunt opinione, Romanum imperium abolendum esse ante Anti-Christi adventum. Interim non nego, quod Lyra dicit, Romanum imperium sublatum esse. Quod verò puto secundum quid intelligendum esse, ut explicatum.

XIV. Nam phrasis illa Paulina; *ἕως ἔξ μέσθ γενηται* 2. Thef. 2. v. 7. ex quâ delectionem imperii Romani concludunt, non significat, *dum prorsus aboleatur, sed dum transferatur ex hoc loco in alium.* Actor. 23. v. 10. Tribunus iussit militem manum descendere, eum (Paulum) rapere *ἐκ μέσθ αὐτῶν.* Item 1. Cor. 5. v. 2. Ut tolleretur *ἐκ μέσθ ὑμῶν.* 2. Cor. 6. v. 13. Exite *ἐκ μέσθ αὐτῶν:* Sic & *ἕως γενηται ἐκ μέσθ* 16. *της Ρώμης.*
Quare



Quare dictum hoc de Româ, Italiâ & plerisq; imperii provin-
ciis Imperatori adimendis intelligi debet.

XV. Dât instantiam Becanus §. II: *Nec temerè aut sine
fundamento hoc dicunt Patres. Habent pro se aperta scriptura te-
stimonia; habent perpetuam ab Apostolorum temporibus traditio-
nem. Quæ antequam proferantur, prius explicandum est, in quo
consistat illa desolatio seu everio Romani imperij, postquam ventu-
rus dicitur Anti-Christus. Aliud enim est inclinatio illius imperij:
aliud desolatio seu everio. Inclinatio facta est variis temporibus 1.
quando Roma capta est sub Gothis. 2. Quando imperium defecit in
occidente. 3. Quando restaurato per Carolum Magnum imperio in
occidente, destructum est in Oriente per Turcas. Porro desolatio tum
erit, quando imperium Romanum dividetur ac distrabatur in decem
Reges amisso nomine ac dignitate imperiali. Et tunc primum veniet
Anti-Christus.*

XVI. Responsio est plana & expedita ex illis, quæ modò
adducta sunt. Semper enim distinguenda sunt figmenta ho-
minum à sensu & veritate divinorum oraculorum, quæ sibi
nequaquam contrariantur vel se subverunt: Sanè fabuloso
hoc commento, oportere Monarchiam Romanam planè destrui
prius, antequam Pontificiorum fictitius veniat Anti-Christus, ut sic
Pontifex ab Anti-Christi suspitione purgetur, sacrosanctà oracu-
lorum Daniels autoritate (ut ut eam alleget in sequentibus
Jesuita) labefactatur & convellitur.

XVII. Quando quidem Daniel de Monarchiis orbis,
nec non de earundem serie ac duratione ex professo vaticina-
tur, & ad quartam (quæ omnium consensu Romanorum est)
accuratius considerandam describendamq; se accingens di-
fertis testatur verbis, quod illa quantumvis in extremo vix lu-
teis stans pedibus vehementerq; debilitata, duratura tamen
sit usq; ad consummationem seculi, proindeq; nullius terreni
Regis armis, penitus destruenda sit vel excindenda, donec la-
pis ille grandis à monte avulsus universa totius mundi regna
comminuat & in nihilum redigat: quod verò non nisi no-
vissimo illo die futurum, quis dubitat? Anti-Christus autem

non



non post finem mundi; sed ante extremum iudicium veniet
& revelabitur, testibus ipsis Pontificiis.

XVIII. Quocirca testimoniis à Becano citatis omninò
credimus, sed nec ipsum, nec Patres juvant, neque indirectè
neq; directè, neq; apertè neque obscurè majorem syllogismi
propositionem, cujus probandæ gratiâ adducuntur, probant.
Ordine videbimus singula.

XIX. *Probant hoc Patres*, inquit, §. 12. *ex Daniele & Apo-*
calyps: nam 2. Danielis describitur successio quatuor præcipuorum
regnorum usque ad finem mundi per quandam statuam, habentem
caput aureum, pectus argenteum, ventrem æneum & tibias ferreas.
Explicatio est hæc: Caput aureum significat regnum Chaldaorum;
pectus argenteum regnum Persarum; venter æneus regnum Alexan-
dri & Græcorum; tibia ferrea regnum Romanorum. Porro ex dua-
bus tibis oriebantur decem digiti: quia scilicet Romanum imperium
tandem in decem reges dividendum est, & eo ipso desolandum & e-
vertendum.

XX. Explicationem & divisionem statuæ Danielis in
quatuor regna mundi, facilè concedimus. Neque enim nos
mover, quod quinque diversis constet materiis, auro, argen-
to, ære, ferro & luto; cum evidens sit, & ex ipsius Prophetæ
interpretatione pateat, analogiam statuæ ad imperia, non
principaliter in materiâ, sed in diversis corporis partibus si-
tam esse: proindeq; aureum caput, Monarchiam Assyriacam;
pectus argenteum, Persicam; ventrem æneum, Græcam; & de-
niq; crura & pedes partim luteos, partim ferreos, Romanam
significare.

XXI. Hæc omnia utut concedamus, nulla tamen ratio-
ne nobis persuaderi patiemur, illo Danielis loco simul prædi-
ci, imperium Romanum ante adventum sive revelationem
Anti-Christi destructum iri, amisso nomine & dignitate im-
periali. Sanè *ἐν τῷ πρῶτῳ* nihil ejusmodi continetur: *ἐν Ἀγ-*
γοῖα ergò?

XXII. Optarem, ut Becanus Jesuita (cum hæc factio
semper formam crepet) *Ἀγγοῖαν* illam in verbis Prophetæ

B

(ut



(ut sibi imaginatur) delitescens in analysi syllogistica, ut pote veræ *Agvolas* & consequentiæ legitimæ probatione, nobis demonstrasset. Quod ergo ab ipso intermissum est in hunc finem, ut consequentiæ infirmitatem occultaret, illud à nobis faciendum, ut manifestum fiat, nullam in argumento esse consequentiæ necessitatem. Aliter autem, quam hoc modo, argumentari non potuit: Quod imperium in statuâ Danielis duabus tibiis repræsentatum, desit in decem digitis, id est, regnis, ex duabus istis tibiis ortis; id ante adventum Anti-Christi totaliter & quidem ita destrui, ut neq; nomen neque imago ejus supersit: Atqui Romanum imperium est illud imperium, quod in statuâ Danielis duabus tibiis repræsentatum desit in decem digitis, id est, regnis, ex duabus istis tibiis ortis. Ergo Imperium Romanum ante adventum Anti-Christi totaliter & quidem ita destruetur, ut neq; nomen neq; imago ejus supersit.

XXIII. Quis concederet majorem Becano? Quomodo etiam illam ex Daniele probabit? Significant ne decem digiti interitum quarti regni totalem & quidem ante adventum Anti-Christi? Sanè neq; hoc neq; illud dicit Daniel: quippe qui illos facit extremam partem systematis quartæ partis statuæ, & sic regni quarti. Significare autem partem totius, non est significare interitum ejusdem. Inquis, illum significari per divisionem: cum divisione partium totum tollatur. Nego, illud de omni divisione partium integranrium totius integri (de quibus hic sermo est) verum esse. Cum solutione quarundam sæpius partium, totum integrum mutilum quidem fiat & imperfectum, sed non statim tollatur totum.

XXIV. Deinde est æquivocatio in voce *divisionis* sive *divisi*: quæ vel de partibus, vel de potentiâ potest intelligi. Sanè totus contextus evincit, quod Daniel non dicat, hoc imperium in decem reges, SIMUL subsistentes & imperantes, divisum iri, ut nullus illorum nomen & dignitatem aliquam hujus imperii obtineat, sed potius dividendum asserit propter divisionem & imminutionem potentiæ. Quæ verò cum sint
verissi-

verissima, elucet, neque minorem undique veram esse, neque similitudinem latius extendendam, quam ab ipso Propheta extenditur.

XXV. Sed ponamus significari per horum regnorum divisionem, rotalem imperii Romani ruinam & interitum, nihil tamen ad rem facit. Nam non nobis quaestio est de quavis ruina, & interitu totali; sed qui futurus sit ante adventum & revelationem Anti-Christi. De quo Daniel nequaquam loqui & intelligi potest. Quippe qui disertè se explicat, tibias illas ferreas cum pedibus & horum digitis, partim ferreis, partim fictilibus, non nisi à Christi regno comminui debere: proindeq; imaginem adhuc & umbram quandam imperii Romani, in pedibus fictilibus usque ad adventum Christi secundum mensuram. Repetimus ergò, quòd jam modò à nobis est conclusum: Quia Anti-Christus non post finem totius mundi, sed ante extremum iudicium veniet sive revelabitur, testibus ipsis Pontificiis, manet firmum & certum, quod diximus: Licet vel maximè hic Danielis locus de totali imperii Romani ruinà loqueretur, nihil tamen ad rem facere.

XXVI. Auxilium verò petit Becanus ex cap. 7. Danielis v. 23. 24. sic §. 13. scribens. *Eadem quatuor regna apud eundem Daniele cap. 7. designantur per quatuor bestias, Leonem, Ursum, Pardum & aliam innominatam, habentem decem cornua in capite. Hac autem bestia innominata significat imperium Romanum; & decem cornua significant decem Reges, qui imperium divisi sunt. Bestia quarta, inquit Daniel, regnum quartum erit in terra, quod majus erit omnibus regnis & devorabit universam terram & conculcabit & comminuet eam. Porro cornua decem ipsius regni decem reges erunt.*

XXVII. Et hic optaremus, consequentiæ vim syllogismo probasset Jesuita, videntur enim aut scopæ dissolutæ esse, aut hypothæses falsæ supponi: Nam sic & non alio modo in syllogismum verba illa resolvuntur: Quod imperium dividet decem reges, illud ante adventum seu revelationem



Anti-Christi totaliter, ut ne nomen quidem & umbra ipsius superfit, destruere: Atqui Imperium Romanum est illud imperium, quod decem reges dividunt. Ergo Imperium Romanum ante adventum sive revelationem Anti-Christi totaliter, ut ne nomen & umbra quidem ejus superfit, destruetur.

XXVIII. Minorem probat Becanus ex Apocalypsi 17. cap. sic porrò §. 14. scribens: *Quod autem decem illi reges imperium Romanum divisuri & distracturi sint, colligitur ex Apocalypsi 17. ubi Johannes describit bestiam cum septem capitibus & decem cornibus, super quam se debat mulier circumdata purpura & cocino, habens poculum aureum in manu sua plenum abominatione, & immunditia fornicationis. Nam, ut angelus ibidem interpretatur, mulier est urbs magna, qua sedet super septem colles, id est, Romã. Decem cornua sunt decem Reges, qui uno tempore simul regnabunt, & hi odient fornicariam & desolatam facient illam & nudam & carnem illius manducabunt & ipsam igni concremabunt. Quibus verbis aperte significat angelus, Romanum imperium per illos decem reges penitus destructum & dissipatum iri.*

XXIX. Non tam minor, quam major probatione indiget: quippe quã planè falsam esse ex jam dictis constat, proindeque ejus ne verisimilem quidem rationem sive probationem adferre conatus est Becanus. Minorem, ut ea in Apocalypsi ponitur & continetur, facilè concedimus, ideoq; supervacanea est ejus probatio. Taceo, quòd non adeò convenienter allegetur cap. 17. Apocalypseos & jungatur cum loco Danielis. Hic enim imperium Romanum considerat respectu tyrannidis Mahomeris, qui tria cornua anteriora avulsit: Johannes verò ratione tyrannidis Anti-Christi: qui septem cornua reliquit, hoc est, septem regna ad se dolo & fraude attraxit, & subjugavit, quorum tamen quædam postea Anti-Christum odio habuerunt, illudq; reges adversus ipsum armis & persecutionibus demonstrarunt.

XXX. Deinde foedè peccat Becanus ex parte secutus Bellarminum (cujus opinionem supra disp. 9. invictis rationibus



bus refutavimus) in interpretatione hujus loci , sibi enim imaginantur , per mulierem intelligi Romanum imperium , quod falsum est ; siquidem eâ indigitatur ipse Anti-Christus , ut ibi probavimus . Quare non hoc vult Johannes (ut sibi imaginatur Becanus) Romanum imperium per istos decem reges penitus destructum & dissipatum iri : sed decem illos reges odio persecuturos meretricem , hoc est , Anti-Christum . Nam licet dicat Johannes reges istos , vires & potestatem suam tradituros ; tamen & hoc dicit : eosdem odio persecuturos meretricem : ubi tempora distinguenda sunt : ut , cui primùm vires & potestatem contulerunt , istam postmodum maximè oderint . Quare si verba ista Apocalypseos de alicujus interitu essent interpretanda ; tum sanè non interitum Romani imperii , sed ipsius Anti-Christi præsignificarent . Diserta enim sunt verba : *quod fornicariam illam mulierem invadent , & desolatam illam facient .*

XXXI. Ad summam ! Nihil aliud ex Apocalypsi & Daniele & omni scripturâ evinceretur , quàm imperium Romanum vulnerari quidem lethaliter debuisse , sed non profus aboleri , proindeq; ita affligi , ut se Anti-Christo subjiceret , tantum abest ut ante illius adventum aboleri debuerit . Sic enim idem Johannes Apocalypsi . 17 . v . 9 . *septem capita , septem montes sunt , supra quos sedebit mulier .* Quem locum , ipsemet Becanus allegat , & per septem colles sive montes intelligit Romam . Colligitur inde , debuisse urbem istam Imperatori adimi , & Anti-Christo subjici , atq; hoc ita factum esse , experientia testatur .

XXXII. Neque hoc sufficiebat ; quippe debuit etiam Anti-Christus vi seculari armari , & hanc Imperatori adimere & sibi vindicare . Quandoquidem & hoc prædixit Johannes Apocalyp . 13 . v . 11 . *Deinde vidi aliam bestiam ascendentem è terrâ , habentem cornua duo , similia agni , sed loquebatur ut Dmco v . 12 . Et verò potestatem prioris bestie omnem exercet in conspectu ejus , & facit , ut terra & ejus incolæ adorent bestiam illam priorem , cujus plaga curata erat .*

XXXIII. Aliam illam bestiam non nisi Anti-Christum esse in precedentibus est demonstratum. Est enim is similis agno, nempe præ se fert nescio quam pietatem & humilitatem, vocaturq; servus servorum: quo titulo quid potest esse mollius? quid lenius? quid humilius? quid agno similis? Sed, *ô Christiane puer nimium ne crede colori!* Loquitur enim ut Draco, rugit & mugit, exercetque omnem potestatem prioris bestiae, quæ lethaliter vulnerata erat, id est, imperii Romani. Distribuit enim regna; de summorum regum capitibus iudicat, contra sanctos bella gerit, ex omnibus provinciis tributa & vectigalia Romam cogit. Non igitur prorsus abolendum erat Romanum imperium, sed lethaliter vulnerandum, ita ut esset, & non esset, & tamen esset. *Apoc. 17. v. 18.*


XXXIV. Recurrit Becanus ad traditiones. *Ad hæc scriptura testimonia*, inquit §. 15. *accedit amplissima Ecclesie traditio, de qua D. Hier. in cap. 7. Danielis sic scribit: Ergò dicamus, quod omnes scriptores Ecclesiastici tradiderunt, in consummatione mundi, quando regnum destruendum est Romanorum, decem futuros Reges, qui orbem Romanum inter se dividant. Quid clarius dici potest?*


XXXV. Quæ nostra de traditionibus & Patrum autoritatibus in hoc argumēto sit sententia, ab initio hujus disputationis indicatum est, simulq; quibus solidis ea innitatur fundamentis, demonstratum. Habeat sibi Jesuita suæ Synagogæ traditiones: nos traditiones Spiritus Sancti sequemur. Interim Hieronymus contra nos nihil: quippe qui per regnum destruendum, destructionem partialem pristinae Majestatis amissionem intelligit, non totalem ruinam sive abolitionem.

SOLI DEO GLORIA.









COLLEGII QUARTI
In Augustanam Confessionem,
quod adhuc est

De Ecclesia,

DISPUTATIO XIV.

In quâ

Examinatur prior pars primi Be-
cani argumenti, quo probare satagit; Anti-
Christum magnum nondum venisse.

Proposita.

In Electorali Academia VVittebergensi,

